

est, conuersari debent. Vero enim non est simile, Spiritus, post hoc aeuum cum hominibus collocuturos, corpora esse assumpturos, quandoquidem post mundi interitum aerea, aut alia huius generis corpora, efformare non poterunt. Nec probabile est, toties DEVM, quoties Angelus homini loqui uellet, uera corpora creaturum esse. Quod in primis in diabolorum gratiam non esset facturus. Verius ergo uidetur statui, Spirituales Linguae notitiam hominibus quasi infusum iri. Quam quisque uero nouit Linguam intelligere, hanc eum, caeteris paribus, etiam crediderim posse loqui. Deinde ratio apprehendit, has nostras organicas linguas, quibus cum molestia, et longa mora, uerba proferuntur, et per aurem demum ad intellectum transmittuntur, imperfectione quadam laborare quam tamen in perfectiori seculo in Electis saltem, qui omnia intuitiue cognoscent, abesse decet. Tandem uero, si mundi ruinam praecognoscit homo, facile coniciet, idiomatica materialia, graecum, latinum, κ. γ. λ. in usu non futura esse, quia sine aere uox humana efformari nequit. Alia ergo lingua nos uti oportebit, quae a corporea mole, aut materia, non dependeat. Qualis cum nulla, praeter Spiritualem, esse possit, omnino adigimur, ut etiam hominibus aliquando Spiritualem linguam tribuamus

VIII

Quid locutione sua Spiritus, et qui, praeter eos, huc spectant, expriment, dictu haud difficile est. Mentis enim conceptus, et uoluntatis affectus, ac desideria, κ. γ. λ. sunt, quae manifestant, idque sibi inuicem. Certo enim certius ex mutua conuersatione constare uidetur, increatum Spiritum non modo creatis, sed quoque hominibus *ἰσαγγέλοις*, et hos utrosque etiam cum illi, tum sibi inuicem, loqui. Res ipsa profecto id loquitur. Sed homines, in statu suo naturali relictī, huius loquelae auditores non sunt. Nam quos oculis uidere nequeunt, hos nec auribus audire, aut ullo alio sensu percipere, possunt. Ac tametsi homines, in hac infirmitate constituti, aliquando uel DEI, uel alicuius Genii, uocem audierint; illae tamen locutiones, utpote sonora, et sensibili, uoce factae, hic in censum non ueniunt, ubi de lingua sine lingua tractatur

IX Ve-